

codicibus offenduntur episcoporum Romanorum catalogi¹. Quae extant exemplaria omnia redire ad unum idemque archetypum colligitur cum ex consensu eorum in nominibus et numeris plerisque, tum potissimum inde, quod cum in Indice hoc (composito omnino utilitatis studio maiore quam veritatis ad illustrandam continuationem Romani episcopatus ab ipsa origine non interruptam) reliqua schismata omnia praetereantur, exceptionem facit nescio quam ob causam unus Felix II. (n. 38) Liberii (a. 352—366) adversarius, quamquam eum ab indole Indicis abhorrere vel inde elucet, quod ei octo exemplaria spatium aut nullum (n. 1. 3. 4. 5. 8) aut paene nullum (n. 2. 6) adscribunt, unum solum nequaquam egregium (n. 7) solito more formatum spatium apponit. Nihilo minus Indicis exemplaria in spatiis determinandis in duas quodammodo familias ita discedunt, ut ab una parte stent exemplaria antiquiora maxime 1. 2. 3. 4, ab altera recentiora maxime 7. 8. 9, quamquam non desunt loci a communi hac lege recedentes. Archetypum omnium cum illo Felicis II. male intrusi naevo originario extitisse saeculo quinto exeunte vel certe incipiente sexto inde colligitur, quod ex exemplaribus Duchesnianis antiquissimum quod videtur finit in spatio Gelasii I. (492—496), tria ex ordine temporum sequentia in spatio Iohannis I. (523—526). Laterculus quo tempore in hanc formam redactus sit cum determinari nequeat², certe nihil obstat, quominus vetustate Liberianum aut aequet aut superet itaque immunis manere potuerit a corruptelis in Liberianum inlatis; id quod vere evenisse iam ostendemus.

Laterculi hi duo Liberianus et Index tantum abest ut origine diversi fuerint, ut e contrario constet ex eadem

1) Etiam Graece scripti episcoporum Romanorum catalogi, scilicet qui sint recentioris aetatis, itemque scripti lingua aliqua Orientali ex eodem laterculo origine urbano proficisci videntur; omnino qui admittunt, ut faciunt plerique, antipapam Felicem II. contra laterculi legem praeterea constanter observatam, inde pendeant necesse est (cf. Lightfoot l. c. p. 240 seq. 314 seq. 322). Sed cum menses raro habeant, dies semper omittant, hoc loco potuerunt neglegi. — Picturarum indices ecclesiae urbanae sancti Pauli (cf. Duchesne vol. 1 p. XXV seq. LXXX seq.; Lightfoot l. c. p. 318) a nobis praetermissi sunt propter lectionem aetatemque parum certas.

2) Lightfootius (l. c. p. 311) Leonini vocabulum ei tribuit propterea quod in paschali Cizensi scripto a. 447 haec leguntur (chron. min. vol. 1 p. 507): *huic collectioni paschali dierum non solum seriem consulum conexuimus, sed etiam annos apostolicae sedis antistitum et aetates regni principum Romanorum diligentissima adnotatione subdidimus*. At eius generis tabulas certe inde ab aetate Constantiniana publice circumferri solitas esse cum ostendat chronographia Philocaliana, verba illa non determinant, cuius naturae index is de quo agunt fuerit.